

§. XVIII.

„Denique corroborationem interioris hominis ut Christus per fidem habitat in cordibus, radicationem & foundationem in charitate, profectum in cognitione Christi & amoris ejus, omnemq; omnino gratiæ & gratiarum donorum Dei plenitudinem, Patrem Domini nostri Jesu Christi, & Spiritum ejus operari in electis, per eam potentiam, qua facere potest superabundanter supra omnia quæ petimus aut cogitamus: eo ipso docet Apostolus, quod ab illo ea Ephesius apprecatur; illique propterea gloriam & laudem deberi dicit in Ecclesia, in Christo Jesu, in omnibus generationes seculi seculorum.

Resp. Satisfaciunt & hic jam antea à me dicta,

§. XIX.

Atque hæc luculenter commonstrant, quam levis armaturæ militem, pro absoluto Electionis decreto, contra doctrinam de Electione per fidem, ex Scriptura pugnaturus, agat Røellius, dum hoc corruptæ rationis commentum Paulino textui ita intrudere molitur, ut ne subveri quidem specie quadam aliquid, quod ipsius causam suscipiat, ex illo proferre queat.

SECTION IV.

§. I.

Illud adhuc restat considerandum, utrum, licet concedatur, erroneum esse istud de absoluto Electionis decreto dogma, tanti tamen ponderis id nequaquam sit, ut, qui hoc propugnant, in fundamento fidei & salutis errare affirmandi sint? Satis quidem decisam in superioribus, quæstionem hanc se offerre is existimaverit, qui per errorem illum Dei sanctitatem infinitam, ipsamque adeo divinam naturam adimi ex sanæ Rationis Principiis intellexerit. Tantæ enim impietatis doctrinam omnis religionis fundamentum prorsus

ever-